

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De dysenteria liber sistens praeter completam dysenteriarum in annis 1778, 1779 et 1780

Birnstiel, Franz Heinrich

Mannhemii, 1786

Historia quarta

[urn:nbn:de:bsz:31-415928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-415928)

42
Die vigesima quinta, viribus valde infur-
gentibus, delebatur sal armoniacus in Tinctu-
ra, continuabaturque ejus usus usque ad

Vigesimalam octavam, ubi ulterior, indica-
tis ex fonte diætetico remediis, fani filii cura,
parentibus committi potuit, & commissa est.

HISTORIA QUARTA.

Krug juvenis viginti & trium annorum
quadratus, sex vel octo abhinc diebus dysen-
teria correptus, ita quidem, ut cum morbum
per quatuor circiter dies ferret, illumque spi-
ritu vini, vino rubro, & nuce moschata su-
perare, sed frustra anniteretur, validum fri-
gus, duas fere horas insistens, & posthac ca-
lor mordax, usque nunc vigesimalam octavam
septembris nempe, durans, adeo vehementer
expertus est, ut præter omnimodam virium
labefactionem, & innumeros alvum depo-
nendi dolorificos stimulos, cum intolerabili-
bus ferme ad umbilicum torminibus; etiam
agrypnia; stranguria; siti; ac tandem nausea
ab omni cibo vexaretur. Præter illam supra
memoratam, in hoc stadio medicinam insuper
usus est foliis quercus, vino rubro incoctis, &
nuce moschata aromatizatis; abdomen pannis
calidis involvit, cumque hæc malum exaspe-
rassent,

rassent, opem meam exploravit. Vidi robustissimum, torosumque alias virum, nunc penitus emunctum, trementem, cum oculis pulverulentis quasi, & pupilla ampliata, ut in amaurosi solet. Summitates genarum rubescunt; buccæ collapsæ pallent; nares tenues, ficcæ sunt; labia oris circulo plumbeo notantur; respiratio parva, frequens, & irregularis absolvitur; ex latere retractis ad abdomen cruribus, & inclinata spina dorsi cubat; cutis palpatur arida, urens; pulsus celer, parvus, irregularis, contractusque, quasi durus esset tactum subit; abdomen contrectatum prædurum, dire, cum hypocondriis tenuibus, & tensis, dolet; lingua ficca, ægerrime movetur, ita, ut æger loquendo balbutiat.

Dentes sani, nativo suo candore orbat; tenaci, & viscida materia obducti sunt; oris sapor, putridarum carniū similis, tantopere depravatus, ut ejus halitus, se & in adstantes cum vero horrore, & nausea diffundat, hique illum olfaciant. His comes est assiduus vomendi conatus; averfatio omnis edulii generis; fitis immanis; lacinantia tormina ad umbilicalem regionem fixa; tenesmus alvi continuus; qui tamen subinde dejectione parcissimæ, foetidissimæ subcruentæ, spumescentisque mate-

riæ solvitur; hoc in rerum statu præcepi. Pul-
veris rad. Ipecac. scrupulum dimidium, tart.
emet. granum unum, superbibendo largissime
infusum florum chammomillæ. Cumque mul-
tum putridæ, amarescentisque materiæ, abs-
que ullo levamine quater eructasset, jussi al-
vum omni hihorio aqua tepida eluere, abdo-
men pannis humidis calide fovere, pro potu
serum lactis aceto paratum bibere, ac tandem
ad vespertas sequens paregoricum, intervallo
duarum horarum haurire. & Aquæ flor.
Chammomillæ uncias duas; laudan. liquid. Sy-
denham. scrupulum dimidium; syrup. men-
thæ, drachmas duas.

Vigesima nona morbus idem non solum
mansit, verum abdomen intumuit; creberrimæ
flatulentias insipidas ructitabat æger, quæ af-
fectio, sæpius pro singultu imposuit. In hoc
statu, sumsit sex pulveres, intervallo duode-
cim horarum, ex cremoris tartari drachma
una, & rad. rhei. el. scrupulo dimidio compo-
sitos, superbibendo semper super quolibet
pulvere, duo vascula infusi florum Chammo-
millæ.

Trigesima: subdlexerunt quidem hi pul-
veres magnam materiæ putrescentis spumosa
copiam, immo decesserunt subinde scybala,

&

& grumi sanguinis, a quibus una cum tormi-
nibus, etiam tenesmus ad tempus palliabantur,
& Ischuria in dysuriam converti voluit, attamen
abdomen sub his circumstantiis magis increvit,
& simul cum notabili remissione dolorum,
molle fieri incepit; etiam pulsus depres-
sus, parvus, & celer factus, pro unduloso
haberi potuit; cum anxia, & breviori respira-
tione.

Jam ulteriorem enematum administratio-
nem recusat; his in ærumnis denuo ad modo
memoratum paregoricum confugi. Sed

Prima die Octobris denuo vidi me nihil
profecisse, e contra singultus aderat frequens;
foedabaturque cutis in fronte, collo, pectore,
& extremitatibus; viscido, eoque frigido su-
dore; respiratio anxia est, cum animæ sum-
me putrido foetore; interna narium, linguae,
orisque facies arida, & dentes muco viscido
irriti erant; pulsus revera undulatus celerri-
mus extitit, nec alius erat convulsivus caroti-
dum externarum motus; nullum amplius po-
tus desiderium; nulla tormina; nullus tenes-
mus; dejectiones creberrimæ incio ægro in-
lectum fiunt; virium plenaria fere defectio;
status soporosus; quem

Secunda

Secunda matutina, cum omnia remedia renueret, inter lenes universi corporis convulsiones mors excepit.

HISTORIA QUINTA.

Kühner vir triginta & quatuor annorum a mala pectoris conformatione asthmaticus, sex abhinc diebus dysentericus decubuit;

Hodie, vigesima octava augusti accersitus, sequentia notavi; affligebatur æger primis statim morbi diebus magna corporis lassitudine, nausebat ab omni cibo cum vomituritione, fiebat multum, oris sapor erat mucilaginosus, respiratio solito difficilior, brevior, & frequentior, nullus fere somnus maxima licet in illum propensione; post hæc: excernebat alvum parcam, cruentam, & spumescentem trigies circiter in nycthemero, cum torminibus strangulantibus quasi, & acerbissimo tenesmo, abdomine interim semper dolente, & duriusculo, urina tamen stranguriose dimissa.

Jam facies luridi coloris, oculi plane iidem ac in moribundis cernuntur; deliquia animi sæpius redeunt; adest tussis, dolores torminosos ad umbilicum vel maxime, nec non ad hypocondria tensa, & nequidem lenissimum tactum ferentia, augens; adperitus ciborum penitus,